

418.

1254 d. 17 Apr.

Lateran.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Bref till Grefvar, Baroner och andra Frälsemän i Sverige och Pommern att behörigen emottaga Diaconus Cardinalis PETER, hvilken såsom Legat till dessa orter afsändes.

F. 1: 210. An. 11. Ep. 909.

*Innocentius &c. Dilectis filiis Vniversis Comitibus, Baronibus, aliisque Nobilibus per Pomeraniam et Svetiam constitutis Salutem &c.*

Quia corporali presentia non possumus locis singulis imminentes de his quos in executione plene potestatis assumimus non numquam in partem sollicitudinis destinamus exemplo eius instructi, qui pro salute humani generis de supremis Celorum ad ima mundi descendens discipulos, quos eligit in universum Orbem transmisit omni Creature Evangelium predicare. De vestra itaque salute paterna diligentia cogitantes dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad velum aureum Diaconum Cardinalem virum scientia preditum, et morum honestate decorum, ac in Consiliis circumspectum ad partes vestras commisso sibi plene legationis officio, ut evellat, et dissipet, edificet, et plantet, sicut viderit expedire duximus destinandum. Quia vero ipsum inter alios fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur. Vniversitati vestre per apostolica scripta mandamus, atque precipimus, quatenus eum immo potius Nos in ipso benigne recipientes, ac honorifice pertractantes eidem tanquam apostolice Sedis Legato intendatis humiliter, et devote, ipsius monita et precepta, et que vobis ex parte nostra mandaverit efficaciter adimplendo. Alioquin sententiam quam tulerit in rebelles ratam et gratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Dat. Laterani XV. Kalend. Maij Anno XI°.

419.

1254 d. 24 Jul.

Anagni.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Svar till Biskopen \*) i Upsala uppå en fråga rörande en qvinna TOVAS påstående om äktenskapsfullbordande med Riddaren MATTHEUS.

F. 1: 236. An. 12. Ep. 58.

*Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri . . .  
Episcopo \*) Vpsalensi Salutem &c.*

Significasti nobis quod cum inter Tovam mulierem et Matheum militem tue Diocesis coram te auctoritate ordinaria matrimonij questio verteretur,

\*) Antingen måste här läsas *Archiepiscopo* (Ärke-Biskopen), eller torde brefvet vara stäldt till någon annan Biskop.

eadem mulier per duos testes idoneos, et fide dignos probavit legitime dictum militem cum ea per verba de presenti matrimonium contraxisse. Et licet idem miles contra testes ipsos, vel dictum matrimonium nichil ex adverso duxerit reprobandum, quia tamen quandam consuetudinem inductam a paganis allegat, videlicet quod sufficit sibi ad reprobationem premissorum, quod cum eadem Tova matrimonium minime contraxerat probare septem testium juramentis, quod super hoc fieri debeat edoceri per nostras litteras postulasti. Nos itaque consultationi tue duximus respondendum, quod cum per negativam non sit directa facti probatio directe ac legitime probationi testium predictorum probatio hujusmodi pretextu ipsius consuetudinis non obsistit. Datum Anagnie IX. Kalendas Augosti, Pontificatus nostri Anno XII.

420.

1254 d. 22 Dec.

Napoli.

Påfv. ALEXANDER IV:s förbud för Prester att predika och förrätta begravningar der de ej voro sockne-prester, upphävande tillika en Påfv. INNOCENTIUS IV:s stadga, som tillåtit sådant.

A. i. d. 48. \*)

ALEXANDER episcopus seruus seruorum dei. Venerabilibus fratribus Archiepiscopis & episcopis. Ac Dilectis filiis Abbatibus. Prioribus. Decanis. Archidiaconis. Archipresbiteris & aliis ecclesiarum prelatis. & ceteris personis ecclesiasticis tam secularibus quam regularibus cuiuscunque Ordinis uel professionis existant salutem & apostolicam benedictionem. Nec insolitum est nec nouum vt ea que per occupacionem uel festinanciam fiunt, pro eo quo congrue deliberacionis limam pretereunt, in propensionis considerationis reducatur examen. vt rectiora & elimaciora per attencionem plenioris disussionis emanent. Sane quedam ab apostolica sede tempore felicis recordacionis Jnnocencij pape quarti predecessoris nostri littere processerunt. in quibus ipse vniuersis religiosis cuiuscunque professionis uel Ordinis districte in uirtute obediencie iniungebat. ut parochianos alienos diebus dominicis. uel festiuis non reciperen de cetero in suis ecclesiis seu Oratoriis temere ad diuina. nec ipsos vllatenus ad penitenciam admitterent sine suorum licencia sacerdotum nec eis predicarent in suis ecclesiis ante Missarum sollempnia. pro quibus audiendis prima parte diei iidem parochiani consueuerunt & debent in suis ecclesiis conuenire. nec sermones etiam sollempnes facerent illa hora. Sed nec ad predicandum ad parochias alienas accederent nisi essent ab eorum sacerdotibus inuitati. vel saltem nisi se ad id humiliter peterent & optinerent admitti. nec ea die qua diocesanus epi-

---

\*) Utur en odaterad vidimation af Biskop LARS i Skara.